



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

Parisiis, 1644

Concilium Brandanfordiae Ab Edgaro Rege Convocatvm, in quo Edvmini regis decreta rescinduntur, ablata ecclesiae restituuntur, & Dunstanus ab exilio reuocatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15625

122 IOANNES C. BRANDANFORDIÆ. OTTO I. IMP.
P. XII. EDGARVS R.ANG.

CIRCA
ANNVM
CHRISTI
96

Guoruot, cum campo & fontibus, cum siluis & accipitribus, cum omni censu qui antea dabatur regi, in manu episcopi, & in potestate ecclesiæ sancti Teliaui. Determinantibus omnibus diuino iudicio surrexit episcopus in medio, & omnes steterunt iuxta eum, tenentes euangelium, & ait ad Nougui: Pone manum tuam super hoc euangelium. Et extendit Nougui manum super euangelium, dicens: Sit hæc terra cum incolis suis in sempiterna consecratione Deo & sanctis Dubricio, Teliauo, & Oudoceo, & Patri episcopo, & omnibus episcopis Landauia, libera ab omni laicali seruitio, nisi tantum oratione quotidiana in perpetuo. De clericis testes sunt Pater episcopus, Dium sacerdos, Disfaith lector, &c. De laicis Nougui rex, &c. Quicumque custodierit, custodiat illum Deus. Qui autem ab ecclesia Landauia se separauerit, anathema sit. Amen.

CONCILIVM BRANDANFORDIÆ

AB EDGARO REGE CONVOCATVM,
in quo Edvvini regis decreta rescinduntur, ablata ecclesiæ restituuntur, & Dunstanus ab exilio reuocatur.

Ex Osbur-
no & Mal-
mesb.

NON occurunt in Concilio actorum formulæ: breuiter autem sic notantur in antiquitatibus Britannicæ ecclesiæ cap.23. Interre Mercii & Norrenses, ac inter Humbrum & Thame-sim mediterranei, in regem Edvvinum arma capiunt. A quibus autem hic tumultus motus fuerat, monachi caute omittunt. In hoc tumultu Edgarus regis frater regni partem obtinet. Hi multis vtrimeque illatis præliis regni vires labefactarunt, sed Edgarus tandem potior, conuocato ad Brandanfordiam regni Concilio, fratris Edvvini acta & decreta rescindit, ablatas ecclesiis & monasteriis opes restituit, Dunstanumque ab exilio ad pristinum honorem reuocat, deinde ad episcopatum Vvigornensem nolentem, vt aiunt, & volentem promouit, postea ad Londonensem, tandem biennio vix transacto ad Cantuariensem archipræsulatum, &c.